

In nomine meo aëmonia ejicient. Et testantur id ss. patres et innumera exempla. Ad prolationem enim hujus vocis disparuere maligni spiritus, dissoluta sunt sagarum conventicula, enervata magicæ artes, expulsi ab obsessis dæmones, etc. Refert Thomas de Kempis, part. III. serm. ad nov. post ser. II. ex IV. fratrem quemdam a dæmone territum in lecto cum recitaret angelicam salutationem primo nihil motum; sed cum pervenisset ad illa verba *Jesu Christus*, illico au fugisse, quasi tonitruo quodam perterritum. Itaque frater ille audacior factus, sæpius illa verba post fugientem ingeminabat. Et quid mirum terreri hoc nomine dæmonem, a quo tam diras accepit plagas? De S. Hilarione scribit Hieronymus in ejus vita, quod inter alia plurima dæmonum terculamenta vidit: « Ex improvise splendente luna rheadam ferventibus equis super se irruere: cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatus pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: *Equum et ascensorem projecit in mare*; et: Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. » S. Antonius hoc salutari nomine dæmonum machinas et molitiones sæpissime ad nihilum redegit. Inter alia apud Athanas. in vita hæc ait: « Pulsavit aliquando dæmon monasterii ostium: egrediens video hominem enormi sublimitate, porrectum caput usque ad cælum. Cum ab hoc, quisnam esset, inquirerem, ait: Ego sum Satanas. Et ego: Quid, inquam, hic quæris? Respondit: Cur mihi frustra imputant monachi? Cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? Et ego: Juste faciunt, tuis enim frequenter molestantur insidiis. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se invicem conturbant, nam ego miserabilis factus sum. Rogo nonne legisti: Quia defecerunt inimici frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti? En nullum jam habeo locum, nullam possideo civitatem: jam mihi nulla sunt arma, per omnes nationes cunctasque provincias Christi personat nomen; solitudines ipsæ quoque monachorum stipantur choris. Ipsi se, quæso, tuentur, et me sine causa non lacerent. Tum ego Dei gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam novam et tam inauditam adscribo sententiam: nam cum fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es confiteri. Vere enim Jesus tuas funditus subruit vires, et honore nudatus angelico, voluntaris sordibus. Vix dum verba compleveram et ille in sublimi Salvatoris deletus est nominatio. Quæ ergo jam o filioli, poterit residere cunctatio? Quæ trepidatio manebit ulterius? etc. » Hæc Antonius. Vultisne plura? Thy. l. de dæmo-

niacis, c. XLII. nu. XXII. ait: « Sagis et iis, qui se diabolo devoverunt, mandari et serio præcipi scimus, ut si quando nocturnos conventus habent, prorsus a nomine Jesu absteineant, quamquam Jesum abjurarint. Scimus subito et diabolum et præsentem turbam disparuisse si quando collegarum alicui etiam præter intentionem, nomen Jesus excidisset. » Sic ille.

V. Oleum ungit et promovet currum. Sic nomen Jesus orationes efficaciores ad impetrandum facit, ut citius ad cælum ascendant et nubes penetrent: promisit enim id Christus, et hoc nomine invocatus in evangelio nihil cuiquam negavit. Mediante enim hoc nomine audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis*, et per hoc placet Deo oratio nostra auditurque. In hujus rei figuram præcipitur Levit. II. ut anima volens Deo sacrificium offerre: *Similam offerat et fundat super eam oleum* (quo nimirum sapidiore fiat, oleatus enim panis est sapidissimus) *et ponat thus*. Simila orationem significat, thus ejus fervorem et bonam intentionem, qua ad cælum dirigi debet: oleum Jesu, quod orationem facit acceptissimam, juxta id: *Quidquid petieritis in nomine meo fiet vobis*. Quin et ad victum comparandum profuisse hoc nomen docemur ex vita S. Bernardini, qui cum aliquando in oppido quodam vidisset hominem chartas lusorias conficientem, quæsivit calleretne aliam artem? Illo negante: *Si vis, inquit, facere quod dicturus sum, habebis unde te sustentet*. Et ille: *Faciam equidem et lubens*. Tum Bernardinus circino descripsit circulum et in eo nomen Jesu pinxit sole circumdatum, aitque ad virum: *Tu fac similiter, fili, et a bebis vitæ degendæ necessaria*. Fecit ille, et inde plus lucri acquisivit, quam e profano altero artificio.

Itaque inculpamus hoc nomen linguæ nostræ et si lingua aliquando deficiat, inculpamus et cordi, quemadmodum S. Ignatius martyr, in cujus corde inventum est aureis litteris scriptum. Cum enim dixisset ei tyrannus ut nomen Christi abnegaret, respondit, nomen id ab ejus ore removeri non posse; et cum ille minaretur ei capitis abscissionem, ut sic ab ejus ore removeretur, dixit: « Et si de ore abstuleris, nunquam tamen de corde poteris eripere. Hoc enim nomen cordi meo inscriptum habeo et ideo ab ejus invocatione cessare non possum. » Quod volens probare Trajanus jussit inquiri in occisi corde, et inventum est scriptum aureis litteris, D. Thomas Aquinas, in opusc. de exposit. orationis Dominicæ.

## CONCIO VII.

QUA RATIONE OMNES CHRISTIANI POSSINT AC DEBEANT ESSE JESUITÆ.

I. Si servi Jesu fuerimus. — II. Si legata et monita Jesu amplexi fuerimus. — III. Si vitam et mores Jesu imitati. — IV. Si nomen hoc non inquinemus. — V. Si et ipsi conemur esse quidam Jesus.

## THEMA.

Vocatum est nomen ejus. Luc. II.

Non est alienum a religionē christiana quod hodierna die, mutuis se xenis honorent Christiani. Nam revera hodie Christus Dominus noster donatus et honoratus est ab ipso Patre suo, præstantissimo xenio, dum accepit nomen super omne, nomen inquam Jesu, ab angelo quidem vocatum seu annuntiatum, a Deo Patre vero inditum, juxta id Isa. XLIX. in persona Christi loquentis: *Audite insulæ, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me* (nomine videlicet Jesu) *de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*. Hoc autem nomen donum et quidem præstantissimum esse testatur apostolus ad Phil. II. dicens: *Donavit illi nomen, ut in nomine Jesu* (en quale nomen) *omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum*. Quæ cum ita sint, æquum esse videtur, auditores, ut ego vobis xenium aliquid donem. Et quid possum dare melius et præstantius, quam si id quod dedit Deus Pater Filio suo, communem et vobis? Ego dono nomine Jesuitæ, quia vos omnes opto fieri Jesuitas. (Neque enim qui de societate Jesu sunt, invidentur nobis hoc vocabulum; utpote qui nos omnes et in modico, et in magno optant esse quales ipsi sunt.) Itane vero dicet aliquis: Visne tu me Jesuitam, qui hoc nomen odi. Ita volo et jubeo: si enim Christiani omnes dicimur a Christo, cur non etiam a Jesu dicamur Jesuitæ? Christiani facti sumus in baptismo, dato juramento, ergo et Jesuitæ. Deinde, nonne Franciscani a Francisco, Benedictini a Benedicto, Dominicani a Dominico nomen sortiuntur? Quia illorum institutum et regulam profitentur ac sequuntur. Atqui etiam nos quotquot Christiani sumus regulam Jesu Christi sequimur. Ille nobis parens, doctor, caput et denique noster Salvator et Jesus est: ipse vitis, nos palmites. Denique, audi quid apostolus dicat I. ad Corinthios: *Fidelis Deus, ait, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri*. Igitur et nos de societate Jesu sumus, quamquam non abnuimus alios longe verius esse Jesuitas, qui videlicet magis et perfectius Christum imitantur. Sane in Chatai regno Sinensibus vicino, et Tartarorum extremo ita omnes Christianos vocari, docet Turcicus narrator, in hist. Ind. orient. relat. p. CLXXI. edita Maguntiae, anno 1601. Quin et ab hæreticis vocari solent Jesuitæ omnes quotquot fidem catholicam acrius defendunt. Et ab ipsis catholicis (levioris tamen armaturæ) quotquot pietati impensius addicti sunt. Nemo igitur ex nobis fugiat hoc nomen, sed toto potius corde ambiat et amplectatur. Sed quid agendum inquis, quæ regula servanda, ut hujus societatis particeps fiam. Bono animo esto, brevis est et facilis talium Jesuitarum regula.

I. Ergo Jesuitæ erimus primo, si ipsius Jesu servos, clientes, discipulos, milites, omnique officiorum genere ipsi obligatos nos profiteamur. Servus, cliens, discipulus, miles erga Dominum, patronum, magistrum, duces bene affecti sunt, nomen et honorem ejus tuentur, ipsum in corde et ore frequenter habent. Ita olim milites Romani gerebant in manu stigma inustum vel impressum, quo se profitebantur hujus vel illius ducis milites, ut testatur Lipsius, lib. I. de militia Rom. cap. IX. Sic miles christianus: *Scribet manu sua, Domino*, id est, Domini ego sum; seu (ut ex Septuaginta vertunt aliqui) *inscribet manui suæ; Dei ego sum*, ait Isaias, cap. XLIV. Vin ejusmodi Christianos; S. Paulus adeo sibi impressum nomen Jesu habebat, ut in suis epistolis repetat id ducenties decies novies, Christi nomen quadringenties et semel idemque abscisso capite triplici saltu ter repetiit, 68. Baron. nec aliter de se scribebat quam *Paulus servus Jesu Christi*. S. Ignatius martyr assidue Jesum vocabat amorem suum, nec aliud fere sonat tota ejus epistola ad Romanos: et sunt qui tradunt in ejus a leonibus lacerato corde, inventum fuisse nomen Jesu, aureis litteris scriptum, juxta quod prædixerat tortoribus: *Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, et ideo ab ejus invocatione cessare non valeo*, Vincent. l. lib. X. c. LVII. Ado in martyrolog. quem S. Thomas et Antonius alique sequuntur. Constantinus Magnus imperator nomen Christi, duabus initialibus litteris effigiatum gerebat in galea. Nomen Jesu sub axilla S. Eutochiæ mortuæ inventum est velut incisum, ut est apud Scardonum et Alanum Copum, dialog. III. c. III. S. Julianus ubicumque id nomen in libris legebat, lacrymis irrigabat, eaque de causa multas in libri lituras faciebat, ut testatur S. Ephrem, in ejus vita. De S. Francisco scribit S. Bonaventura, visum eum, quoties inter psalmos nomen Domini occurrebat præ amoris suavitate labia ablingere; et si nomen Jesu exprimeret vel audiret, mente et corpore adeo solitum alterari, ac si mellifluus quidam sapor, aut suavis harmonia sensum ejus

immutasset. S. Bern. serm. XV. in Cant. ait: *Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Jesum, si disputes aut conseras, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Jesus: Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubitus.* In primis Ecclesie temporibus multi Christiani nomen Jesu candentibus notis in carne sua curabant sibi inuri, ut scribit Procopius verus auctor in Isai. XLIV. Ita pii Christiani etiamnum nomine isto volunt insigniri omnia sua, jure meritoque; id enim a nobis petit sponsus animarum nostrarum Christus Cant. VIII. dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum* (ut videlicet quidquid cogitas et amas, me semper superponas) *et signaculum super brachium tuum* (ut semper in me confidas).

II. Si cupide et prompte amplectamur ea, quae ad salutem nostram reliquit nobis Jesus, legavit, praescripsit, monstravit, ut per ipsam salvi essemus; cujusmodi sunt vita et doctrina ejus, praecipua et consilia, passio et crux, meritorum thesaurus et sacramenta. Hinc enim cultores et amatores Jesu dignoscemus, quemadmodum S. Antonius amorem suum et venerationem erga S. Paulum primum eremitam ostendit in eo, dum ejus defuncti tunicam, quam is in sporte modum ex palmae foliis sibi contexerat, auferens, eo vestitu diebus solemnibus paschae et pentecostis, quoad vixit, usus est, S. Hieronymus, in vita S. Pauli. Et sicut S. Chrysostomus amorem et devotionem suam testatus est erga S. Paulum apostolum, tum ejus imaginem in museo servans, identidem intuebatur maximo suo desiderio et solatio, ut scribit Damascenus de imaginibus, orat. I. Quare si affectu simili afficiamur erga illa, quae legavit, docuit et praescripsit nobis Jesus, nemo dubitabit, nos illius servos et cultores esse. Inspiciamus crebro vitam et doctrinam ejus, sequamur praecipua et consilia, exosulemur cruem et passionis instrumenta, induamus et applicemus nobis ejus merita per sacramenta (maxime poenitentiam et eucharistiam) iisque induti festis praesertim diebus incedamus. Solent filii magna religione observare et asservare ea, quae a majoribus suis acceperunt, mandata, cimelia, etc. et inde aestimantur magni eorum cultores. Ita Josephus tum post mortem patris audiit fratres sibi nuntiantes: *Pater tuus praecipit, antequam moreretur, ut haec tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum et peccati atque malitiae, quam exerceverunt in te, flevit et non tantum injuriam eis dimisit, sed magnam praeterea benevolentiam exhibuit, et alimoniam promisit.* Inde palam fecit, quantum amarit patrem suum, dum ob ejus (ut dicebatur) verbum tam blande accepit fratres, tanta oblitus injuria, Gen. L. ita

et vos, auditores, si Domini mandata, quae vivens et moriens vobis commendavit, v. g. *Ut diligatis invicem*, ut injurias remittatis, ut in ipso maneat, etc. (quemadmodum legimus apud Joannem in sermone habito post cenam ultimam) strenue observetis, veri Jesuitae, hoc est, Jesu discipuli eritis. Joannes apostolus in eo se probavit eximium magistri sui amatorem et verum Jesuitam, quia desolatam Jesu matrem, sub cruce sibi commissam, ex illa statim hora accepit in suam, id est, curam et tutelam suam, veluti propriam matrem. Ita vos Christiani Jesuitae eritis, si quos Jesus pauperes commendavit vobis receperitis in vestra. Itaque gaudere deberemus, et in genua procumbere, quoties audimus in evangelio: *Dixit Jesus discipulis suis, quin et invicem adhortari verbis Isaiae, c. II. Venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob et docebit nos vias suas et ambulabimus in eis.*

III. Si mores et vitam ejus imitemur. Hinc enim dignoscimus cujusque religionis sectatores, quia servant habitum et sectantur institutum suorum fundatorum. Ergo si Jesuitae et veri Christiani vultis esse: *Induimini Dominum Jesum Christum*, ut ait apostolus ad Rom. XIII. « Induere autem Christum, ait S. Chrysostomus, est undique in nobis per sanctimoniam et mansuetudinem Christum conspicuum esse: homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est, apparet itaque in nobis Christus. » Quare ut appareat in nobis Jesus et ne nudum et vacuum ejus nomen frustra circumferamus, habitum quoque ejus, id est, vitam et mores, quem in baptismo suscepimus per votum, nunc gestare debemus. *Ego, aiebat Diadumenus puerulus (cum et imperio et nomine Antonini donatus esset) elaborabo ne desim nomini Antoninorum*, Serar. in Jos. c. II. Quid tu dicas Christiane, qui nomen non Antonini terreni imperatoris, sed Christi regis regnum suscepisti? « Propterea Christianus es, ait S. Chrysostomus, orat. contra Judaeos, ideo hoc nomen accepisti ut Christum imiteris. » Et S. Augustinus, tract. V. in ep. Joan. « Tu factis te ostende Christianum; nam si factis non ostendis Christianum, omnia te Christianum vocent, quid prodest nomen, ubi res non invenitur? » Ergo ne desis tanto nomini, inspice ea, quae Christi sunt et fac secundum exemplar. Inspice Christi domum, et inveniens vilem aedificulam, in qua conceptus est; deinde stabulum seu speluncam, in qua natus; tum hospitia aliena, in quibus diversatus; denique commune coelum, sub quo extra urbem mortuus est. Inspice ejus possessiones, ejus hortos, agros, praedia, et videbis nihil; audies vero illud: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidus; Filius autem hominis*

*non habet, ubi reclinet caput.* Inspice ejus lectum et videbis primo fenum et praesepe: deinde nudam humum, in qua saepius pernoctavit, praesertim in deserto: rursum ligneum cervical in navicula, denique duram quercum, in qua pendens expiravit. Inspice ejus victum et inveniens comparatum e piorum eleemosyna et ut plurimum panem tantum, tum quadragenarium jejunium, sobrietatem et abstinentiam, denique fel et acetum. Inspice ejus vestitum et videbis nudo capite, nudis ambulans pedibus, una contentum tunica, ad extremum spinea rudimitum corona, et spoliatum omni veste, nisi qua aer obtenebratas ex condolebantia illum textit. Inspice ejus famulos, socios et amicos, et inveniens primo asinum et bovem, deinde rudes et pauperes discipulos, denique latrones, in quorum societate mortuus est. Inspice ejus sermones, et reperies non nisi serios et edificativos, verba vitae aeternae; nullum jocum nullum risum. Inspice ejus studium, quod non erat aliud, quam sermoneari, curare, morbos sanare tam animi quam corporis, omnibus benefacere. Inspice ejus acta, mores et virtutes, castitatem, obedientiam, gravitatem, modestiam, maturitatem, circumspectionem in dictis et factis, benignitatem, affabilitatem, compassionem, misericordiam, patientiam, etc. Inspice totam ejus vitam, quae pere nihil aliud fuit, nisi exilium, jejunium, peregrinatio, vigilia, labor, lassitudo, fames, sitis, frigus, aestus, persecutio, contemptus, crux denique et mors, quam pro oculis semper videbat. Inspice, inquam, et videbis totam Christi vitam, fasciculum esse myrrhae, sapore quidem amarum, odore tamen suavissimum. Ita enim ait sponsa Cant. I. *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.* Et quia hunc fasciculum assidue manibus terebat, ideo et ipsa myrrham stillare cepit similitum virtutum. Unde scribit Cant. V. *Manus meae distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrhae probatissima.* Quod nobis etiam continget, si vitam Christi sedulo inspexerimus. Atque hic est habitus, hoc vestimentum Christi, quo indui debemus, si veri Christiani seu Jesuitae esse volumus. Sed video (nobis contingere, quod David contingit, cum arma Saulis gravia nimis induit ideoque dixit: *Non possum sic incedere*, I. Reg. XVII. Ideo saltem unusquisque conetur facere quod potest, ut enim pueri manum magistri non tenentur assequi, sed pro viribus imitari, ita et nos vitam Christi. Viderint autem qui ab ea prorsus alieni sunt eique contrarii. Quod enim Heraclio imp. quando venerandam Christi crucem, auro et gemmis ornatus afferre rursum in Calvariae montem voluit, in porta tamen vi occulta retentus et insistere coactus est,

dictum est a Zacharia Jerosolymorum antistite: *Vide imperator, ne isto triumphali ornatu in cruce ferenda, parum Jesu Christi paupertatem et humilitatem imitere: hoc illi sibi dictum putent, sciantque se cum eo, quod gerunt, Christi nomine in tam alieno habitu ad montem gloriae nequaquam perventuros.*

IV. Si nomen hoc ignavia, flagitio aut vitio nullo inquinemus. Id quod serio monet Cyrillus Hierosolymitanus, catech. X. dicens: « Christianus vocatus es: parce huic nomini, ne propter te blasphemetur Dominus noster Jesus Christus Filius Dei. » Sed imprimis Isaias, cap. LXII. qui de Ecclesia Christi prophetans ait: *Vocabitur tibi nomen novum* (Christianorum videlicet, ut exponunt S. Hieron. ibi et Eusebius, l. II. demonstr. c. XLIX.) *quod os Domini nominavit, et eris corona gloriae in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui.* Quod igitur nos Christiani corona Dei sumus, nulla ratione decet ut coronam istam aspergamus aliqua macula, sed fulgentibus potius virtutum margaritis et pyropis adornemus. Porro sacrum istud nomen inquinant imprimis, qui id, non dicam cum blasphemiam, sed etiam cum irreverentia passim traducunt, quasi nomen vulgare esset. Quis enim censetur venerari sacras vestes, qui eas in bacchanalibus aliove ludico spectaculo induit? Nonne christianam religionem irridet et ridendam exponit? Idem omnino facit, qui nomen Jesu in vanum sumit. Deinde, qui ipsi Jesu nullam aut exiguam deferunt reverentiam; quasi Deum puerum vel ruricolam existiment. Quis magni faciat Christianos, qui ipsosmet videt nihili facere Christum suum? Rursum illi qui nihil dignum agunt christiano nomine; si enim unius ignavia generosa stirpi maculam reputatur aspergere, quomodo non item christiano nomini ignavia Christiani. *Vel muta nomen, vel gere te ut Alexander*, dicebat quidam strenuus dux militi ignavo, nomine Alexandro, apud Carthag. hom. de nomine Jesu, ho. I. Tibi hoc dictum puta. Denique, qui vitam non tam christianam, quam paganam degunt: *Discedat ab iniquitate*, ait apostolus II. Tim II. *omnis qui nominat*, id est profitetur, *nomen Domini.* Christianorum enim est pro omnibus mundi secus vitia vitare. Audi Blandinam martyrem, in tormentis dictitantem: *Christiana sum, et apud nos nihil sceleris admittitur.* Hoc identidem repetens mirum sentiebat levamen dolorum. Ne simus ex illorum numero de quibus ait apost. ad Rom. II. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Vultis audire regulam societatis nostrae? Eam nobis describit apostolus in epistola hodierna: *Abnegantes impietatem et secularia*

*desideris, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, ad Tit. II.*

V. Si et ipsi conemur esse quidam Jesus, id est, Salvatores. Sic enim et homines vocatos legimus in sacris litteris, ut Josephum, et iudices aliquos et passim Scriptura docet, etiam ab homine salvari hominem posse, uti I. Tim. IV. ubi ait apostolus: *Attende tibi et doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* ait Dominus, Matth. XVI. Impie et mendaciter illudebant Christo Judæi: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Sed quid si aliquando vere ac merito dicatur alicui de nobis: *Alios salvos fecit, et seipsum noluit salvum facere?* Noluit, inquam, quia potuit.

Deinde, ut alios salvos faciamus. Non ob suam sed ob aliorum salutem descendit de cælo Jesus: *Ipsæ enim, ait angelus, salvum faciet populum suum a peccatis eorum,* Matth. I. Igitur et nos hoc agamus; primo, spiritualem impertiendo salutem, monendo, arguendo, obsecrando, increpando: *Illos salvate de igne rapientes,* ait Judas, in sua epistola; secundo, corporalem, eleemosynam, medicinam, etc.

Jam vero, auditores, quando, ut videmus, Jesuitæ sumus, et tales nos futuros promisimus in baptismo, renovemus hodie cum anno renovato votum instituti nostri. Id enim imprimis facit ad conservandam fidem Christo datam, et perseverandum in hoc quem profiteremur, statu perfectionis christianæ. Audi S. Gregorium, l. XXII. moral. cap. IV. « Animus noster, inquit, dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris, nescit enim mens per torporem inveterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. » Porro quemadmodum avis nisi subinde se in altum libret, corporis pondere paulatim in terram deprimitur: ita humana quoque natura, nisi per ejusmodi propositi sancti renovationem subinde ad Dei et virtutis amorem se attollat, paulatim carnis et concupiscentiæ pondere prægravata, decidet, lassescet et deficiet in virtutum studio. Cum vero crebrius vota sua renovat, nova quasi anchora constabiliet versatilem voluntatem, ad memoriam revocabit, quæ illa sequitur, obligationem; et auxilium accipiet de cælo novum ad præstandum quod sponderit. Hinc religiosi et imprimis patres societatis Jesu hæc ipsa die revocant vota sua. Hinc olim Christiani, teste S. Gregorio Nazianzeno, votum in baptismo emis-

sum quotannis renovabant in die, quo Christus baptizatus fuit. Quin et gentiles ephori et cum iis Lacedæmoniorum reges instaurabant quotannis juramenta de conservandis Lycurgi legibus, et in Galliæ capitolii seu parliamentis leguntur publice ineunte quovis anno, quæ a justitiæ ministris sunt observanda, Chavass. de prudent. lib. I. c. IX. Taceo quod etiam dæmon adigit sagas ad sacrilega vota sua quotannis instauranda. Quæ cum ita sint, cogitandus est imprimis finis promissionis nostræ in baptismo aut alibi etiam editæ. Primo enim, abjuravimus omnia peccata mortalia, diabolum et ejus pompam: secundo, corpus et animam in servitium Deo addiximus: tertio, statuimus a peccatis si forte in aliqua lapsi fuerimus, illico resiliere, et redire ad Deum per pœnitentiam.

Secundo, cogitandum, cui hæc promisimus: Deo nimirum juxta id Psal. XX. *Tibi dixit cor meum: Dominum requiram* (uti habetur in textu Græco). Quod si homini obligamur servare datam fidem, quanto magis Deo? Tertio, in cujus præsentia promisimus, Ecclesiæ nimirum tam triumphantis quam militantis. Quare nos in hac vita sic militemus, ut in illa triumphemus.

### CONCIO VIII.

DEI NOSTRI CLEMENTIA.

I. Promittit Deus noster: 1. Cælum, 2. Temporalia subsidia. — II. Expectat. — III. Remittit: 1. Reatum pœnæ æternæ. 2. Omnes injurias. 3. Toties quoties veniam petimus. — IV. A contrario sæpe non promittit, non expectat, non remittit.

THEMA.

*Exultabo in Deo Jesu meo.* Habac. III.

Scribunt auctores aliqui, senatum Romanorum sub Vespasiano imperatore, aliquando consultasse, quo tandem nomine, verus Deus esset compellendus. Variis varia dicentibus, aliqui voluerunt vocandum Deum divitiarum, quod pecuniæ obedirent omnia, ut ait Ecclesiasticus, cap. X. alii Deum sapientiæ, quod sapientia gubernaret omnia: alii potentiæ, quod ferrum domaret omnia. Alii alia. Aderat inter hæc advocatus pauperum, pendulam ex collo gerens pulcherrimi juvenis imaginem, cui hæc verba inscripta erant: *Promitto, expecto, remitto*; in extremitate vero: *Deus clericiæ.* Hic ergo contra senatorum suffragia pro pauperibus perorare cœpit. Nam si Deum pecuniæ statuerent, fore ut solos diligeret divites; si Deum sapientiæ, solos sapientes; si Deum po-

tentæ, solos principes et potentes: cæteros omnes illi exosos fore. Et his dictis protulit imaginem suam, utpote solius veri Dei nomen, et typum gerentem. Placuit hæc sententia senatui, ut nimirum verus Deus diceretur Deus clementiæ. Deus iste noster est, nimirum Christus Dominus, quem Romani illi non satis agnoverunt, sed novimus nos Christiani. Hic est qui ait: *Ego cognosco oves meas, et vitam æternam do eis,* Joan. X. ecce promittentem. Hic est qui ait: *Ego sto ad ostium et pulso,* Apoc. III. ecce expectantem. Hic est qui ait: *Remittuntur tibi peccata tua,* Matth. IX. et Luc. VII. ecce remittentem. Pendet vero hic Deus e collo Deiparæ, quæ est advocata pauperum. Quoniam igitur variæ gentes varios sibi elegerunt deos tutelares, nos unum hunc eligimus, Christum Deum clementiæ, quem et vobis, auditores pro xenio donatum volo.

I. Primo, promittit. Ecquid vero? Promittit imprimis servis suis cælum, et societatem regni sui æterni, in quo summa est felicitas et status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hoc enim sibi volunt illa verba: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei,* Luc. VI. et illa: *Veni sequere me, et habebis thesaurum in cælo,* Matth. XXIX. et illa: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, etc.* Luc. XXII. et illa: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, etc.* Apoc. III. Quis autem mundi princeps talia et tanta promittere vel potuit vel voluit? Quid sunt omnia mundi bona respectu illorum, quæ promittit Deus? S. Gregor. hom. XXXVII. in evang. ait: « Si consideremus, fratres charissimi quæ et quanta sint quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt omnia animo, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ felicitatis quanta sint gaudia angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptionem lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? » Accedit quod etiam minimis nostris operibus in gratia et charitate factis promittit mercedem cœlestem. Sic enim ait Marc. IX. *Quisquis potum dederit vobis, calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Denique, quidquid nostris operibus, et laboribus acquirimus vel lucratur, totum id nostrum est quia nobis id promisit

Dominus noster. Sane terreni domini promittunt quidem mercedem servis sedulo operantibus: sed non lucrum quod acquirunt servi, domino enim suo lucrantur, non sibi. At vero Deus noster nihil sibi ex nostro labore quærit, totum nobis donat; nobis serimus, nobis metimus.

Secundo, promittit gratiam et familiaritatem suam, quæ non externa tantum denominatione hominem Deo gratum et acceptum faciat (uti solet gratia principum) sed revera interne exornet, ita ut Deo placeat; imo Deum ipsi homini inhabitantem faciat. Ita enim Dominus, Joan. XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus:* et II. Cor. VI. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, et ambulabo inter eos, etc.* Has ergo habentes promissiones (subdit c. seq.) charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. Maximum favorem exhibuit Christus Zacchæo, cum in domum ejus divertit et in ea mansit, et eundem nobis exhibet, cum per gratiam suam nobis inhabitat. Quanti æstimaret agricola, si ad ipsum princeps ejus diverteret, cum ipso pranderet, luderet, rideret?

Tertio, promittit etiam temporalia subsidia, victum et amictum: *Nolite, inquit, solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? etc. Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis,* Matth. VI. assistentiam et protectionem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* Matth. XXVIII. Quod enim S. Catharinæ Senensi aliquando dixit Christus: *Cogita de me, et ego cogitabo de te,* (ut refert S. Antonius, in ejus vita § IV.) id etiam nobis dicere credendus est. Exemplum audiamus. P. Franciscus Borgias e societate Jesu, cum Hispali moraretur, nihilque nec ciborum nec pecuniæ pro sustentatione suorum haberet, convenientibus omnibus in triclinium, cum paululum orasset: *Deo fidei, illi curæ sumus,* dixit, et ecce pulsat ad ostium quispiam et eiborum canistrum insperato affert; quem is conspicatus: *Discite, inquit, filii, Deo fidere cujus si gloriam quærimus, animis, corporibus nihil unquam defore pro explorato habetote,* Ribadeneira, lib. II. vitæ, cap. X. Neque dubito hoc idem ego omnibus Christianis dicere, habituros nimirum omnia Dei auxilia per annum hunc totum et amplius, si Deo sincere confidant.

II. Expectat, quia peccata hominum diu et patienter tolerat, superat autem hæc ejus patientia omnem humanam intervallis infinitis: nam et injuriæ quæ ipsi inferuntur, infinite sunt majores